

Caput VII

[1](#) Initio regni, Cyrus Sybaren, coeptorum socium quem iuxta nocturnum visum ergastulo liberaverat comitemque in omnibus rebus habuerat, Persis praeposuit sororemque suam ei in matrimonium dedit. [2](#) Sed civitates, quae Medorum tributariae fuerant, mutato imperio, etiam condicionem suam mutatam arbitrantes, a Cyro defecerunt, quae res multorum bellorum Cyro causa et origo fuit. [3](#) Domitis deinde plerisque, cum adversus Babylonios bellum gereret, Babylonii rex Lydorum Croesus, cuius opes [divitiaeque insignes ea tempestate](#) erant, in auxilium venit; victusque iam de se sollicitus in regnum refugit. [4](#) Cyrus quoque post victoriam, conpositis in Babylonia rebus, bellum transfert in Lydiam. [5](#) Ibi fortuna prioris proelii perculsum iam Croesi exercitum nullo negotio fundit; Croesus ipse capitur. [6](#) Sed quanto bellum minoris periculi, tanto et mitior victoria fuit. [7](#) Croeso et vita et patrimonii partes et urbs Beroe concessa, in qua etsi non regiam vitam, proximam tamen maiestati regiae degeret. [8](#) Haec clementia non minus victori quam victo utilis fuit, [9](#) quippe ex universa Graecia, cognito quod inlatum Croeso bellum esset, auxilia velut ad commune extinguendum incendium confluebant, [10](#) tantus Croesi amor apud omnes urbes erat passurusque Cyrus grave bellum Graeciae fuit, si quid in Croeso crudelius consuluisset. [11](#) Interiecto deinde tempore, occupato in aliis bellis Cyro, Lydi rebellavere: [12](#) quibus iterum victis arma et equi adempti iussique cauponas et ludicas artes et lenocinia exercere. [13](#) Ac sic gens industria quandam potens et manu strenua, effeminata mollitie luxuriaque, virtutem pristinam perdidit et quos ante Cyrum invictos bella praestiterant, in luxuriam lapsos otium ac desidia superavit. [14](#) Fuere Lydis multi ante Croesum reges variis casibus memorabiles, nullus tamen fortunae Candauli conparandus. [15](#) Hic uxorem, quam propter formae pulchritudinem deperibat, praedicare omnibus solebat, non contentus voluptatum suarum tacita conscientia, nisi etiam matrimonii reticenda publicaret, [16](#) prorsus quasi silentium damnum pulchritudinis esset. [17](#) Ad postremum, ut adfirmationi sua fidem faceret, nudam sodali suo Gygi ostendit. [18](#) Quo facto et amicum in adulterium uxoris sollicitatum hostem sibi fecit et uxorem, veluti tradito alii amore, a se alienavit. [19](#) Namque brevi tempore caedes Candauli nuptiarum praemium fuit et uxor, mariti sanguine dotata, regnum viri et se pariter adultero tradidit.